8





PALÆSTRA LITTERARIA,

DEMONSTRATIO ANGUSTA, DESCRIPTIO INDUBITATA; QUÆ PLAUSIBUS AD SIDERA LOQUITUR: ARGUtis insignia per ardua aperit in egregiam solemnis ominis umbram Illustrissimi, ac Reverendissimi

P.TRIS F.TRIS JOACHIMI DE OSMA,


A CONFESSIONIBUS INVICTISSIMI CAROLI III. AUDITORIS, Supremæ Inquisitionis fulciminis, simùlque hujus Bœticæ Sancti Didaci Provinciæ Minorum Excalceatorum promeriti Patris.

SUFFUSA PROVINCIA GAUDIO IN UNUM AD celebrationem

INTERMEDIJ CAPITULI

COLLECTA, LARGIUR SCATURIGINE VISCERUM praeconia viro eximio.

CUM CAPITE BOETICÆ PHALANGIS PROVINCIALI Ministro Fratres gymnasio diserto habitaverunt: Pater Provinciæ, Custos, Difinitores, Congressusque Minervæ tanto heröi pignora mentis ex theca Subtilis doctrinæ ex intimis dicârunt, die 23. mensis Maij, anno ab Incarnata Sapientia M.D.CC.LXV., in Conventu S. Antonij de Padua magni Portus.



INFIXA EST LINGUA PALATO, vox faucibus ſiſtit, dum magnalia lepóre tentat verba promere, ſitibundaque, ut Tantalus, ardet. In his plus Harpocrates extenſo digito, quàm Neſtor dulciloquo ore, ait Heliconiadum modulator:

Eximia eſt virtus præſtare ſilentia dictis:

Subſtitit ut clamor preſſus gravitate regentis.

Silentium laus: ſic cultus juſtitiæ inviolatæ panditur, moreque Sigalionis magnum dignoſcitur. Sed num ſemper convenit præſtare ſilentia rebus? Ullo in ævo conſtringere labra? Haudquaquam; quia ex abundantia cordis os fluvios eloqüentiæ miniſtrat: ideoque Cœtus Seraphicus in teneræ gratitudinis obſequium Illuſtriſſimi Heröis nodis ſubtilitatis laborat. Unum pro decem millibus computatum, virtutibus cunctìs inſig-

insignitum, plausu tollant, non unus, & alter; sed omnes, parili voce encomia largientes.

Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt;
Nec gens ulla tuos æquè celebrabit honores.

Ideo fratres electi in orchestram confluunt, & ad vocitanda tua munera in actionem instituunt. Non solùm juncti, ut promant pro Præsulibus Cœnobiorum vota; sed, ut in altum erigant unanimiter tua decora merita. Claudianus pangit venâ fluenti:

Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem.

Quæ avis Solis? Phœnix succo amomi rectitudinis vivens, tenebras serenâ luce secans. Vitam agit ardoribus charitatis: lampades ejus, lampades flammarum, & ignis. Splendidum eloquium tuum vehementer difundis, pedesque speciosos in viam pacis ponis: unàque, ut Herculis catenulis, flexanimæ facundiæ corda prædaris. Spirantibus extis largiris dona pauperibus, infantum ordine xenia prompta manu dispergens miseris hilaris dator, ut eleemosynarius primus. Pauper, ut dives in dispertione munusculorum, inopes ditas, liberalitateque munificâ oppressos pondere duro indigentiæ juvas. Pieria verba profero.

Auxilio tutos dimitam opibusque juvabo,
Quippè velut denso currentia munera nimbo
Cernere semper erat.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos
Aurea dona vomens.

Ergo Solis ales vive felix; quia eleemosyna à morte liberat. Suggestu exuperas omnes; munere Inquisitionis summo gaudes, & unicus veluti Sabæa avis excellis.

Pennata cohors Seraphici S. P. N. Francisci connecta, retinaculisque inextricabilibus affectû n̄ cohabitans; sedens in Cathedra sapiens Lector Frater Antonius Sevillano, & Pina, tanti gaudij medullitùs promotor; in obsequium eximij viri grates solvit, verba laudationis pandit; rivum doctrinæ Mariani Doctoris fonte editæ propalam profert; auditque datum magno Parenti hujus Provinciæ ex ore Vocaliu n illustrem laudationum cumulum. Rara avis in terris modulamen intonat primò Demosthenes secundus, Grayæ facundia linguæ sapiens, omnium corda demulcens R. P. Fr. Emmanuel de Lora, Jubilatus Lector, ex-Diffinitor, Synodalis Examinator Diœcesis Hispa-

lensis , ex Guardianus Conventuum S. Francisci assignatæ Urbis , iterumque præses Ursuonis , Civitatisque Gadicensis , atque regens actualis Studiorum Cœnobij S. Francisci Menesthei Portus á Sancta Maria dictus. Cuncti intenti ora tenebant , sicque argutus verba faciebat diserto sono. Redundans eloquio , pollet gravitatis ingenio : vox verberat aures.

Audactèr Phæbum adire, ut ejus luminum principatum aspiceret Icarus superbè præsumpsit : at quia non cereis pennis , sed aquilinis hoc adipiscitur ; ideo dum astra volatus erigere magis conaretur ipse, tum pro illo sic lamentabatur Ovidius ;

Icare dum clamat , pennas aspexit in undis.

Igitur dum sim locuturus coram sapientissimo circo de altero , immo fulgidiori Sole , quid me consecuturum spero ? At uti Icaro hæc mihi fore non timeo; quia Sol factus , tanquam sacus cilicinus , ut ajebat Evangelista : ita est habitu cinereo indutus , ut ejus temperatis fulgoribus se conspiciendum exhibeat; nam ut ajebat Polo , sic à plerisque fuit visus. Verè , etenim Sol, cui hæc asserta sacrantur. Nam ita lucidè, & clarè Theologica arcana deprompsit , âc subtilitèr expo-

exposuit, ut inter fulgentiora sidera in Seraphico M.-norum Cœlo scientiæ doctoratu nitentia, quasi alter Sol inter astra, sic inter omnes luminare majus obtineat. Merito igitur hæc Theologica dogmata ad ipsius manus pervolant; nam dignum, & congruum est; immò est etiam jure debitum, quòd iterùm revertantur flumina ad locum, undè mirè, & affluentèr exierunt.

Sicuti in venerabilis nostri Doctoris Subtilis, etiamque Mariani Magistri; ita & in Divini Paracleti Cathedra scientiæ fulgoribus micat: nàm tanta claritate, & scientia verba vitæ proponebat, Evangelium præconizabat, ac omnibus exponebat, ut intellectu audientium convicto, ad Catholica Dogmata sectanda etiam faciliùs illorum voluntates præmovebat. Merito igitur & Apostolicus Contionator, ac in veritatis orthodoxæ Tribunali Supremo Generalis Inquisitor veneratur; nam in utroque munere sacro profligatis tenebrarum umbris, & lux veritatis, & fidei clarior, & evidentior apparet.

Hac enim micantiori luce, ut noster amabilissimus Dominus, Invictissimus, ac Reverendissimusque Prin-

Princeps, CAROLUS ſcilicet III. cum regali, ac fæcundiſſima prole in viam mandatorum Dei inofenſo currat pede ipſum dirigit, ac regit. At etiam nec tot fulgoribus ſcientiæ in ardore lucis cedit; nam ſic ſcientiæ claritate, qua pollet, omnes illuſtrat, ac illuminat; fulgoris ardore quo viget, & omnes favet, ac fovet. Tanto ergò noſter illuſtrior Mecænas erga indigenos & Chriſti pauperes charitatis incendio flagrabat, ut cum annotaret princeps, pro ſtrictiſſimæ paupertatis voto illorum inopiam ſublevare non poſſet; eleemoſynarum infantium primarium, diſtributarum inſtituit, & deſtinavit; ut ſic verbis non ſolùm dulciſſimis, ac ſcientiæ ſalutaribus monitis in portandis neceſſitatibus indigenos adjuvaret; verùm etiam tot eleemoſynarum fideli, & compaſſiva diſtributione illos omnes ſolaretur; ac etiam ſuæ maximæ charitatis, ac commiſerationis ardor in aliquo minueret.

Alia quam plurima munera nè ſim omnium prolixior, ſilentio prætereunda reliquo; nam ſicut tot, quod omnia implere non valeret, niſi mundi centimanus foret, uti Sol, qui & ſi ſit unus: Sol à ſolo dicitur, omnia equidem factus eſt omnibus. En rutilans

Phœ-

Phœbus in glorioſo nudipedum Cœlo. Et deniquè ecce micans Sol in hac S. Didaci Strictioris Obſervantiæ Bœtica, ac religioſiſſima eparchia, quæ ſi hodie in commitijs veneratur inunum congreſſa, in tantum eſt; quia in gratitudinis monimentum decernit, quod huic, præſtantiſſimo Soli hæc ſigna dentur amoris. Omnibus etiam ſuæ nitidiſſimæ lucis protectionem, & honorem tàm liberalitér, quàm magnificè diſtribuit. Nám omnia ſidera lumen ſuum à Sole mutuant; quia in iſto fuit opus excelſi omnem recondere lucem, & ex ipſo ſtellis communicatum, & per ipſum appareant mundo aſtra lucida, & micantia. Quotuplex ſit ergo numerus aſtrorum, ſeu planetarum non eſt facile enumerare; nàm tot ſunt ſententiæ, quot capita; quia vix Aſtronomorum, ác Philoſophorum in unum adunatur concenſus: & ſi totam cœleſtem ſphæram ex aſtris maximè ſeptem compactam, communis omnium opinio prævaleat. At ideo tamen verum tenet; quia tot ſunt ſtellæ Cœlo fulgentiori lumine nitent; ni aſſerant quia tot ſunt ſapientiſſimi Patres, ac magiſtri eruditiſſimi, qui hanc præ cetæris micantem eparchiam & illuſtrant, & adintegrant.

Igitùr

Igitùr condecoratiſſima, ac mihi amabiliſſima Bœtica Provincia, quæ tot ſideribus, ac fulgentiſſimis aſtris rutilas, in laudem tui quid enim de te proferam? Duo tantùm: & quod fuit opus omnipotentiæ, & te eſſe firmamentum, in quo collocavit ſidera; ut ſic appareat in mundo quem prædicebat Propheta: & erit firmamentum in terra. At etiam & quòd te ipſa coronas, uti Palma; nam ſi in hac ajebat Stephanus ut in throno apparuit Sol, ut ſic illam defenderet, cuſtodiret, ac protegeret: in te uti in altiori, & frondoſiori palma, ut in proprio throno quieſcit tuus amatiſſimus Pater, illuſtriſſimus, ac fulgentiſſimus Phœbus, cui hæc ſacrantur encomia. Tibi enim ſit maxima gloria tali protectore defendi, tali Patrono muniri, tali Mecænate protegi, & deniquè tam fulgentiori Sole micare; ſicque tan Cœlo, quàm mundo, tam Deo, quam hominibus vale, vive, & ſalve.

Mellea permotus oratione Lector unit concentu vocum diſcrimina, nexus ambaginis acutos argumenti penetrat, dulcibuſque modis in præconia munia natæ Jovis canorus dictis dicta in hunc modum

dum ſequitur. Aod utrâque manu pugnat Minervali lite, multis dexteritate, alacri expeditione ſine comite. Complexa argumentorum cunctûm ligamina non refero; quia non in offendiculum venit breviloquium. Reddit nexis ſolutionem haud ignarus, geſtu, voceque doctis magiſtris ambroſia verba fundit.

Omnes jam in tui conſpectu Rev. admodùm Pater Diffinitor, regens optimarum artium ſtudijs excultus, in omni diſciplinarum genere ſumma cum laude perpolitus, Lectorque Jubilatus; omnes, inquam, in tui conſpectu cenſeo peraëra raptos, admirationi radio perculſos: dùm tangis eruditionis culmen, hujuſque noſtræ Diſcalceatæ Familiæ perſtringis notam celſitudinem. Quos tibi perſolvam evectos honores? Quæ gratulationis ſigna? Ubertate verba deficiunt. In te laus, ín me laudatio ſemper; quippè decori præſtitiſti amictus lumine munerum editam virtutem. Gloriam multorum judicijs conſtat, claritas bonorum, narrat Stoicus artibus inſtructus. Unde decor tibi, & nobis, & omnibus te audientibus. In aula Palladis tenentis gladium ſcientiæ extas prædives, lilium candore peritiæ flores; uteris ſuavita-

te

te Platonis, acumine Aristotelis, formalitate Socratis. Doceat Parnassi incola:

Qualem te gerimus teneri primordia mundi.

Scribentem aut partes animæ.

In argumentis dexter, in propugnatione uti non vera cognoscens, sumis, abjicis, amplificas, extenuas; & sic lætos induis vultus, gaudia percipis signatus magisterij apice. En pusillum, & magnum, pauca de pluribus, quæ indecus nóstrum continent imperio valido lora regentis. Gratulationes solvo ob honorem mihi non debitum in his publicis thessibus; nam Patrem JOACHIMUM DE OSMA, in hujus dedicatione plausibus intonas. Illabantur ad illum, veluti ad meritorum pelagum fluentia concita tuæ facundæ linguæ; dentque ad præconia mira voces aquæ; quia aquam sapientiæ uno haustu exhauris, fontemque eruditionis ex vena largiris. Si Mecænatem litterarum patronum laudibus exaltas, ad superos profectò laudator strenuus elevaris. Parce imbecillitati, parvi ingenij pauperiei; quia si in honorante est honor; tibi sit pulchritudinis sine dubio jubar.

Finem fecit laurea cognitionis versatus; surgitque ore

ore modeſtus Phœbigena Iberus Æſculapius Dominus Joannes de la Hoz. Sed quid tibi cum Medicis? Multum. Neceſſe eſt honorare Medicum noſcentem de terra medicamenta, ut ferat opem ægris, depellatque morbos gnarus Apollineæ artis. Dexteritate duplici ſplendet Chironis arte, Ariſtotelis acumine. Dicam cum Aonio vate:

Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi!
Solicitus Doctor regnat Ariſtoteles!

Imis medulis gaudia pandit, veniaque ſumpta, verba facit.

Reverendi admodùm Patres, totaque rectitudo moderans, cujus cognitio, religio, prudentia ad Olympi faſtigia ſuperexaltat; Cœtus unanimitèr holocauſtum digniſſimo PATRIS JOACHIMO DE OSMA offerens; alta peto, ſed hujus condecorata merita aperto corde concino. Munus medullitùs tribuo reficiatori juſtitiæ, deſtructori avaritiei hiantis, contemnenti verticem elationis, nitori innocentiæ; manibus innocenti, mundo corde. In cujus conducta totâ poteſtas quaſi pronâ ſubditur, dùm tota volun-

tas Dómini, atque semper Dómini CAROLI III. parata curatori suæ conscientiæ usquequaquè conspicitur. Ignem, gladiumque portas; quia Supremæ Inquisitionis gaudes electis armis. Dominùm Infantum favore concitus succurris manibus largis miseros. Demissus huic Seraphicæ Proli me in victimam lubentèr exhibeo. Et ut facilius cum directione procedam; omnia in laudationem miraculi magni, illius, inquam, primi instantis infusionis animæ Mariæ Reginæ nostræ sine labe conceptæ cedant. Ideo tibi in vota voco, supplex peto:

Alma parens facilem vultum nè averte precanti,
Neve humiles dura respice mente preces.

Condona mihi numen, Mater agnitionis, ut objectionem proponam, tribueque cæteris astantibus nitida serta.

Auribus percepit defendens Lector eloquij fœdus, omniumque pervolat ad aures responsio mollis. Hispani Cœtus, ait, monumenta virorum in quibus effulges solus Apollo solo. Effulges etenim Joannes nectare injucundo doctrinæ exaturatus, effulges mi-

rè

rè, in altum extolleris egregiè, dum facultatis Apollineæ clarè abyssum penetras. Sic panditur orbi qualis vir, qualis notitia, quale ingenij subtilis acumen glutinatum cum gratia. Ab incunabilis eximius, deinsectator Delij; celebris in facundæ suavissima gratia linguæ, in Sophia, cognitioneque totius naturæ. Nunc cum Harpocrate effundo vocem pectore: in te transfertur cum medicina culmen scientiarum omnium; ad cujus apicem non potero verè, nisi prius doceas properantibus tritis gressibus pervenire. Non teritur tempus, brevi silentia perstant.

Subrigitur tertius Amphion gravitate decorus, rectitudine gravis, Scolasticis litibus facilis, non inventus illi similis. Plectro eloquentiæ movet ambrosiæ ore delibuto ciet corda, licet saxea: lepore recreat, atque natos omnes ut Pater Provinciæ exaltatus ad se, ostendens olivæ vernantem termitem; id est Calificatoris Supremæ Inquisitionis munus mellea suavitate trahit. De illo Heliconis alumnus.

Dicitur Amphion, Thebanæ conditur urbis
Saxa movere sono testudinis, ac prece blanda
Ducere quò vellet.

Benè, & non ad insipientiam mihi; quia Alcides Fratrum sustollit gráve pondus; intelligens gubernâcla manu dextera tenuit præsul. Quis hic, & laudabimus eum? Rev. P. Fr. Bartholomæus Giron à Conceptione in Theologia Lector consummatus, Diffinitoriali chlamyde tectus, Pater Provinciæ amans, Calificatorque Supremæ Inquisitionis solers. Dulcia sonat tenui gucture modulamina avis, gyratque per ardua encomiorum æthera; largiens volatu celeri Charitum munera. De illo dici poterat conscius Bahusius.

Denique de Batavo Flavius, de Thrace Pericles,
Arcade de crasso Tullius alter, erit.

Ex intimo thesauro nova pignora laudum profert, sic rhetor fœcundus initium sumpsit.

Hæc dies, quam fecit Dominus, in ea exultemus animis; nam à Domino factum est mirabile oculis nostris. Sed quodnam factum, invisum, & inauditum opus formidinem incutiens, & humanum in admirationem intellectum coercens, omneve jubilum in nostris præcordijs fluens? Circumgestetur tessera, cir-

circumferatur verbum. En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël omnes tnentes gladios, & ad bella doctissimi. En lecticam, seu portalem domum, ut septuaginta vertunt, circumdatam sexagintá viris acies tenentes super femur suum, ut hilares ad manus habeant, valdèquè streenui ad ineunda bella. En Religiosam nostram Bœticam Provinciam junctam: certè lectulum, lecticam, sive portalem domum in qua perjucundè quiescit mansuetus moderator emmendator sapientûm Christus. Validi viri ex Israelitica Familia, quippè pauperum pauperrima, inter omnes èx instituto habet sanctæ, & arctæ egestatis stemma. Sexaginta ambiunt invicti, circunstant generosi, ac integrant hujus Salomonici lectuli scientem congressum; quià sex sunt in numero viri valdè gnari Diffinitoriale componentes Tribunal: & ob multiplicitatem cujuslibet ascendunt ad sexaginta, firma ratione supputata. Sed quo ingenio? *O* vulgo *Cero* in Arithmetica per se solum, pro nihilo est habitum, sed appositum ad unitatem scandit ad decem. Quod *Cero* in Arithmetica, in moralibus molitur

litur humilitas; ideoque abjectionis hieroglyphicum: addensque ad unitatem cujuslibet *cero* exiguitatis, quam habent Minores S. P. N. Francisci Alumni; sex evadunt sexaginta, quia sexies decem, numero notata, constituunt sine dubitatione sexaginta. Infandum fateor solerti mente præditum Cætum; sed nobis dies lætitiæ; quia mirabile factum à Domino. Certè magno gaudio delibuta dies; nam non auditur, nisi gaudium, honor, tripudium. Cum Thracio Citharædo intono:

Lætentur ubique

Serpentũque, hominumque genus, volucresque, feræque.

Sic nervis, citharaque potens, sacro percitus œstro princeps. Ergo licet infandum non neget tuum præconium; dies illucescit, & claro nunc Jupiter æthere fulget, in quo tua mihi interest pandere fastigia laudum. Cum Vate efundo ab ore melos.

En erit unquàm

Ille dies mihi cum liceat tua dicere facta?

En erit ut liceat mihi totum ferre per orbem.

Ritè dies totum radijs impleverat orbem.

Tu es Religiosissima Provincia, quæ in æthere Eccle-

siæ

ſiæ ut crocea aurora diem apperiens , micas , ut Luna pulcha eveheris , electa ut Sol auricomus admiraris. Ideò ut caſtrorum acies fixa ſerie aptè poſita; manens ſemper in ordine immutabili , & Cœlo , & Mundo impertiviſti doctos validoſque viros termino anguſti ævi. Verè tua ſurrectio , ſeù creatio uti aurora valde rutilans ; quippè benè illa aurea hora , qua tuis primis cunabulis firmos , ſcienteſque viros , excelſum nempe Martyrem Sanctum Joannem de Prado , tuum primum Provincialem Miniſtrum , qui inter truces Lybicoſque Mauros exorta tuæ ſanctitatis prior dedicavit Olympo : aliumquè multum in proficua eruditione Joannem de la Haye , natum tuum validè addictum ; primum in arenis litterarijs Theologiæ Sacræ , Philoſophiæque Lectorem , qui uti ignivoma fax , & ardens lampas , ſuis commentarijs in totam Scripturam Sacram, Magnâ, & Maxima Biblia cognominatís , alijſque plena ſapientia ſcriptis totum opplet lumine orbem. Spectaculum mundi facti , admiratione cogniti inter magnos renident ſolertiæ primates ampliores.

Mar-

Martyrij palmam secuit virtute Joannes,
Alter at in calamo Palladis alta petit.
Sustinuit pœnam primus, pennamque secundus
In manibus quatiens, plurima scrip ta dedit.

Onus grave longam seriem tuorum procerum recensêre. Exiguitas temporis, velut unda labentis cætera proferre non permittit. Difficile brevi cuncta claudere. Attamen non superdeo, vel ad silentia linquo illos edictores tuos filios, qui processionem instituêre ad proclamandum vocibus virtutis, populorum plausibus instantem primum labe carentem intemeratæ Matris. Signum ostendit teneritudinis affectum; nam puer Jesus infundere benedictionem est visus super tenellos infantes puritatem Virginis labris coccinis confitentes: sic ex ore infantium laus perfecta profluit, & jubilum præcordijs cunctorum non defuit. Ergò non mihi si centum linguæ, oraque centum proferam cumulatim tua laudationis gesta, quando appares tanto luminum inundata fulgore. Vocor ad te iterùm; quia repleta conspicua venustate munerum.

Cons-

Conſpecta ut Luna in perilluſtri litterario exercitu.

Luminibus Stellas cumulat nunc Luna minores.

Quia ſi roſcida Cynthia ſoror æmula Phæbi dicitur decus Aſtrorum, noctis ſidus, regina Cœli; hodie conſpicitur luminare minus conſummatione in capite hujus magnæ Provinciæ quæ dirigit juſtum moderamen in hoc diſerto Congreſſu cum Stellarum ordine micantium fœdere, manentium ſerie immutabili; hæ contra Siſaran ab ortu pugnant, unàque ut expoliant ſpectatiſſimum Theatrum, uſquequaquè radiorum vibrantia jacula emittunt. Heröes docti ſtellæ exhibentes cum argentea Hecate amica pelagi ſplendorem cunctûm intuentium, Diffinitorialem hujus almæ Provinciæ clarum Cœtum; quia qui multos juſtitiam docent; quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates lucent. Cæterò in tanto luminum gurgite ſuperat radijs invecta Luna niveis bigis. Veriloquium originis certum Lunæ *una luminum*, vel unica ſplendens inter lucentes tremulos fulgores coruſca dona complectitur ſiderum. Decora, & glorioſa ſunt de

te dictas Civitas Dei magni; sed pulchriora referantur; quia uti Sol electa ab omnibus videris nitida. In te nostra decora laudatio, ideo à te non recedo.

Electa ut Sol splendidè spargis profluentia gaudia lucis; sic nunquàm magis formæ decore præstans montem perfectionis velociter scandis; ita ut in te omnis consummationis finis; dùm tibi ortus est Phœbus rarus, & tibi, & tuis electus fidelis, mitis, decoratus filius. Fama perhibeat magnum memorabile nomen; nam magnas it fama per urbes. Quod nomen gratum? Qualis vir dilectus? Ut mel dulcis memoria talis Josiæ, zelo, virtute, religione gravis. Quis verò hìc vir inclytus fastigiò celso dignitatis positus? Quis? Seraphicæ domus fulcimen, S. parentis stirpis ornamentum, percelebre Viseræ aufugium, strictioris Observantiæ Seraphicæ solicitus Phinëes; Apollo nitidis splendoribus Seraphicum firmamentum abluens, radiantibusque flammis ingenitæ pietatis tingens: quia ab infantia crevit cum eo misericordia. Catholicæ Majestatis à confessionibus auditor consultus, circumpectus. Sic deliberationum dat lumina

Phœ-

Phœbo: quia Carolus aſpicitur *S,l clarus.*

Nunc Carolus regnans carpit de lumine lumen,
Luceque Rex nitida fulgida ab ore capit.

Quæſitor, fideique cenſor faciens judicium horribile in perfidos religionis perduelles. Infantum ad ſublevandos æris inopes diſtributor miſericors, ab eleemoſynis diſtribuendis, & erogandis vir ſine comite munificus; ſic pauperum catervas regijs ſumptibus alit effuſus; atque in auxilium inopiæ ab omnibus vocitatur charus. Unò dicam Illuſtriſſimus àc Reverendiſſimus admodùm PATER FRATER JOACHIMUS DE OSMA, cujus ortus fulgidus dum in te eſt viſus, quaſi unus ex nobis factus, voluit per omnia fratribus aſſimilari; ut in hoc oſtenderet ſuam veram miſerationem. Canam cum Aonio famulo:

Hujus erat facies, in qua matrẽque, patremque.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat:
Viſcera pauperibus cum pietate patent.

De hujus productione poſſum cum perito Vate citharæ, fundæque, intonare; quòd homo, & homo in te vitæ lumen init, in auras expelitur; cum in ſummo

mo vertice amplioris dignitatis ; & grandævus in te dedit propria munia lucis. Nàm si Sol radians in primo sui esse editus prodijt, ut esset omnium viventium generis auctor ; primò secundum Synaitam in humo positus , postea splendorum fons in firmamento Cœli á Domino locatus : totum in viro nostro laudato complectitur ; quippè creatus in tellure illa benedicta , & totis flavescentibus frugibus virtutum abundanti Provincia Sancti Joseph emicuit lucidum sidus ; sed in te magnus factus ortus videtur, ut sit Pater dilectus omnium fratrum. Luminibus septus moderatoris eximij ex Cathedra exercuit honorificum muhus. In illo , veluti in lampade Cœli Altissimus suum tabernaculum constituit ; dum esset Missionarius Apostolicus ; sic orbem luce fatigat , sonus argenteæ tubæ in omnem terram clamorosus exit ; omnes aberrantes ad rectum tramitem trahit , & ex criminum abrupto vortice eruit. Quid magis ? Sanequàm ; affluunt divitiæ , cor non apponit ; ut esset egestate Irus , non copia Cresus. Ideo vir in Ecclesiastica dignitate constitutus in admirationem rapitur, obtu-

obtutu hæret defixus in uno, dum conspicit tantam celsitudinem in tam ingenti exiguitate. Sed non solùm ad aures nostras pervenit, sed proprijs oculis perspexi contemptorem largi xenij, in suppellectili suæ cellæ pauperem; in habitu immiti humilem. Mihi ex intimis pandit elevatum esse ad verticem tantæ dignitatis; quia nummos rejicit, nihili duxit. Igitur quandoquidem Apollo solus, Phænix unus; sic sua dignatione Pater hujus suæ Bæticæ S. Didaci Excalceatæ Provinciæ omnibus dona affert; ita ut non sit qui ab æstu suæ benignitatis se celet. Verùm jam, jam Charissimi Frares in unum juncti, fulgor tantæ festivitatis indigitat, esse in nostris præcordijs extrema gaudij. Jubar fulgens tantorum radiorum denunciat dilectis splendorem nostræ festivitatis. Nostræ dicamus, an suæ? Sed ut fateamur verius, & suæ dicamus, & nostræ: nam honores, tituli, stemmata pulchra, gesta insignia factus omnibus omnia dilectus vir, ut Pater comitate onustus communicat: ideo manu congero magnitudinem suam esse nostram. Unde bene erit totis notum, hunc diem esse jubilationis;

tionis; quia à Domino factum eſt iſtud; ſubtilibus luminibus mirabile. Nàm ſi JOACHINUS interpretatur præparatio Domini: noſtrum Reverendiſſimum JOACHIMUM dextera potens Domini apparavit, & in viam direxit, ut eſſet hujus Bœticæ S. Didaci Provinciæ Pater; unde grates reddimus tibi labro concino. Deus nos illuminet, ut de arduis Theologiæ difficultatibus aliquid promam, propalàmque vehementi æſtu cordis enarrem.

Omnes ſcientes aperti circi ſtupefacti ab ore pendebant dulci, viſi harpagine dulcedinis ineſcati. Tunc moderator Cathedræ conſternato animo procumbit, titubantque verba reſponſionis tremefacta gutture.

Eloquio Arpinæ ſubſternitur ordine lingua,
Solaque det facilis reſponſa Demoſthenis ore.

Quo progrederis ſine filio Pater? Nùm Cecropius ſine diſcipulo? Dardanides ſine Anchiſe iter ſumis? Quomodo laudes amorum pectoris ſuavitate dirigis ſine filio ſocio æqualia munera dante? Poſt te in honorem tantorum honorum trahor. Pro debito eſt,

tecum colligat decus ille qui tibi tanta dignatus eſt gloria decorare. Grates tibi reddo; nam id quod ſum, tuum eſt: hoc per tuam fidem, dignitatemque celſam felicitèr conſequor; atque per tua merita libentèr obtineo. Quidquid ſcientiæ, cognitionis, intelligentiæ conſecutus ſum à te ſuſcepi, à tuo largifluo latice hauſi: explevi tuæ doctrinæ nectare noſtri pectoris cellas: nam tu via ad omnium ſcientiarum diſciplinas. Mentem rejeci rei litterariæ, quod ſcio à te venit. Politioris artis laude excellens inſtituti; fers omne punctum, miſces utile dulci, cera cum melle.

Utile miſce igitur dulci: dato jura, Magiſter,
Tempore diſcipulis non abolenda tuis.

Profero ex tenebris ſplendorem: unde benè laúdibus commendaris. Non condo umbris ſpiſſis manibus lumen; nam fulget lumen in manibus, dum ſortes meæ in manibus tuis. Lumen micare abſque arctatione vibrantium radiorum, & oppoſitis tenebris ſplendorem maximum oculis præbere, monſtratur in patulo decorum lucis opus. Non lumine cæcutiente, viſus

vllus est mihi lucis decor, splendoris honos; nàm excedis ex utero non inani Provinciæ, & gloriosius quantó æmula exiit atra caligo. Unde similis non inventus ullus ex agmine tanto. Ex suggestu litterario radios emittis Sophiæ, ac Theologiæ, quibus imbutus succum lactis notitiæ, contretum ex tali lucido amne collegio. In libris, scriptisque involutus multus fuisti, ut polypus scopulo, sic te in litteras abdis: sic demetis fructus laboris. Dexter Balduinus in modulis faciendis Parnassi incola strenuus.

Anxia cura libris docta impallescit in umbra,
Et vigil ad pluteum sera lucerna strepit.
Mitte metū, ars Sophiæ, si fors horam eximit ævo,
Fænerat, è puncto sæcula honoris eunt.

Ecclesiastes concionator assuetus plebem in sacris Conventibus alloqui; jaculum ignivomum Christianæ Doctrinæ in populos graves emisisti ad animarum convertionem. Prædicasti verbum opportunè, movisti corda laxea accommoda compunctione nota.

Nempè tibi pectus torrebat seraphicarum
Flumen flammarum, Cherubicusque calor.

Quan-

Quantos pervigil cerno in utroque ſuperioritatis candelabro nitidos globos? Quantos clementiæ, agnitioniſque radios? Narrent hi, qui ſentiunt. In conſilijs tuis aſpicitur neſcia fallere virtus; aperta ratio; in uſu dexteritas, in obſervantia zelus comedit tua viſcera; in ſcitis prudentia, in ſpecula vigilantia: cum menſura pietas admiratur, ſine modo charitas videtur. Omnia vincit amor; occulto pectus comburitur igne. Noſcunt hæc cuncta qui ſentiunt noviſſimè diebus iſtis. Unde quid multum te appellem mirabile lumen lumina omnium rapiens? Per te Provincia ſtemmatibus altis niteſcit; per te ordine legum, & conſtitutionum peracto perambulant filij in vias planas in obſervantiam Seraphicæ Regulæ plenam. Ortum demùm ex te facit honor condecorans Diſcalceatum agmen. Cæterùm quò? Ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum dico, jàm plauſibus iterum, iterumque evectum Patrem noſtrum JOACHIMUM; qui tibi factus, conſors decoris multum dignitatis adjunxiſti, & tua dignitas magnoperè amplificata tali umbra clareſcit. Te fecundo amne, pelagoque tran-

tranquillo ad voluntatis tuæ ripas felicitèr ducat. Labia premam, Pater mi, ob tuam non enarrabilem gloriam; nam nûnc non laus proprio ore vilescit; quia honorare parentibus præceptum Domini lucidum. Laudemus parentes nostros virtute præditos, studio vehementi inclytos; nàm viri misericordiæ, cujus pietates non defuêre. Inopem tuorum meritorum me copia fecit, deficiunt verba, ex gaudij abundantia; quia oblectamentum cor obruens blandum, impedit verba. Cunctæ res difficiles obrui silentio debent. Suscipe cor in holocaustum, dum nodum tuæ ineluctabilis difficultatis concussus solvo. Per te, veluti per aquæductum it celer, properaque mea voluntas ad Reverendissimum JOACHIMUM præconijs exaltatum, atque has thesses consertis dexteris lito, offero, dedico Mæcenati tam inclyto.

Præsidis insignis nunc nomine defero munus,

Hocce magisterij, fœdere corque lito.

Stupore abrepti cuncti sperabant impetu animi enixi ingeniositatis culmen. Incredibili cupiditate flagrant, mirificè affecit eos desiderium. Seddenique

data

data ſcienti præſuli occaſione; addita eſt ei ſapientia, gravitate decora conjuncta; atque aurea dona ex latenti ſcatebra cognitionis cunctis ſapientibus, ut Provincialis Miniſter larga manu miniſtrat. Non ſolùm miniſterium implet, ſed amæna ſtudia eruditionis, Sophiæ Theologiæque ſubtili acie, celerique animi vi acuminatus complet. Ut extrema ales iter liquidum molitur; quia volucrum agminis Seraphicæ Provinciæ Sancti Didaci in Bœtica princeps, homo natus, firmamentum Fratrum. Jovis velut impavida cita ſateles ſtrepitantibus ornata pennis inter altivolantes aves, medullam cedri tulit, diſerto labro libat doctrinam ſubtilis Magiſtri, volitatque per aëra velox, fætus validos documinis exploratos lampade Phœbi, obtutu acuto præpes penetrat in medium profert, palmamque emeritis acumine ſolertiæ ſtadio præripit. Magnus ſtelligero Provinciæ Olympico vertice; nam manibus exequitur quod ore docet: & qui fecerit, & docuerit hic magnus vocabitur.

Ore tonat Sophiæ cumulum; ſua geſta revelat,
Divitiaſque ſibi dux legit ore, manu.

In

In manibus sua facta micant, sed ab ore redundat
Eloquium populis; nectere cuncta sapit.

Sapientia canitur exitu.; palmamque in meta conspiciunt omnes, qui in itenere studiorum currunt. De te Balduinus gemini collis petentis æthera strenuus modulis accola.

Quid referam probitate tua? Quod præmia dätur:
Non facili in tota sit tua palma schola.

Hoc opus, hic labor; calculum album tribuit honos. Nelejus dux iste, largus cui copia fandi, dulcem emittit ab ore sonum.

Viri Israelitæ quid admiramini? Quid hactenùs stupefacti ictu admirationis percusi? Cor pervolat alta non dicta sequuntur. Num loquelam do? Voce resona silentia rumpo? Sonus in auras editus? Nonne novum creavit Dominus super terram? Paradisum voluptatis super terram primordijs Dominus creavit, & ad vitam, conservationem, pulchritudinemque amænitatis flumen magnum de medio ortum duxit. Super terram Sanctam, floridam, madidam, adhuc non maledictam. Do cum Pierio Vate verba.

Est

Eſt locus Eoös Phœbi naſcentis ad ortus,
Illic perpetuè vernantia gramine rura,
Perpetui fructus, æternaque gratia florum:
In medio fons eſt lato pulcherrimus orbe.

Ad rem commodè adjudico. In Eccleſia enim, Sancta rore Spiritus Sancti Religionem Seraphicam Dominus metator plantavit excelſus. Plantavit, humo figit, incrementum dedit. Sic ab antiſtite Summo Clemente V. vocum plauſibus, laudationum cumulis Religio S. P. N. Franciſci nomen refert. Eccleſiæ fertilis paradiſus, ex qua, & inqua ortum duxit fluentum exundans, per prata virentia currens, jlle inquam Marianus Subtilis in primis moderator Joannes Duns Scotus (hoc dicto omnes Theatrum implentes in venerationem tanti Magiſtri aſſurgunt, tribuuntque teneritudinis ſignum:) aquis ſapientiæ affluens rivus, Eccleſiam Sanctam inundans, oblectamentis inſolitis exhilarans, Civitatemque Dei lætitijs imbuens, nempè intemeratam Matrem in primo ſuæ animationis inſtanti, quæ veluti paradiſus decoratur gratiæ floribus, & hortus fuit concluſus impliciti, lætiferique colubris fraudibus.

Lætitijs plaudit Matrem ſine labe decoram,
Doctrinæque dedit munere Scotus aqnam.
Ebibit eloquium Matris prædulce Joannes,
Nectare potatus candida corde canit.
Notitiæ fama totis celebratus in oris
Hic varias ſolvit reſque, Magiſter amans.

Si ita ſic: quid admiratione evecti filij Iſraël; id eſt Franciſci? Nonne aliquid in terra novitate inſuetum vix à primo limine ſalutatum? Num quia conſpicitis in Palæſtra Scotica noſtræ Militiæ ſtemmata? Regijs Sanctæ Inquiſitionis umbonibus ſociatum inſigne? Nonne hoc novum ſuper humum? Tollitis ad ſidera lumina? Non vobis in mentem venit S. Joannes à Capiſtrano, Generalis Religioſarum rerum Quæſitor, alijque quam plurimi, qui ſuper cineraceum Franciſci habitum Scutum Inquiſitionis Summi Pontifices munifica indole ſupplantavêre. Ex Cruce, gladio, olivaque ſcutum decoro cultu expolitur, ſimulèt venuſtè locupletatur; omnibus notum. Et de ſobole chara Seraphici parentis dicitur: per Crucem; nos prædicamus Chriſtum Crucifixum; gloriari opportet in

Cruce: per gladium, & olivam justitia & pax oscula ingeminant, gaudia comitate canunt.

In gladio leges, insignia pacis Oliva;

Justitiam rectam sequitur concordia mitis.

Ensis, Oliva canunt notis rectumque, suave:

Jus bona certa capit, pax benè corda ligat.

Nullis involucris involuta ratio. In stemmatibus Iberiæ leo, & castellum aspiciuntur: in Seraphico agmine hoc totum demonstratur. In venerabili, scilicet, Fratre Francisco Cisneros mundi stupore clauditur. Scutum gladium, & castellum non desero; pro meis viribus in plausus affero. Castellum in victoriam de Sarracenis terrificis in Oràm Cœlo concomitante, facilique sorte florenti: gladium, & scutum & bellum in humili demisso tegmine Francisci afferente. Nonne semel, & bis inquam novum creavit Dominus super terram? Igitur quid in admirationem rapti? Cæterùm jam, jam rationem capio: non quia novum sit; quod his temporibus in regalibus re aperta oculis hauritur quod æterno Numini visum impossibile, videlicet quòd in ædibus regum appareant pellium,

lium, & lanæ velamine tecti: quia qui in domibus regum ſedes locant, mollibus veſtiuntur. Ideo in promptu ſit admiratio veſtra, meritò & noſtra; quia in Mœcenate, tutoreque noſtro cuncta hæc in unum junguntur. Ut opalus una facit gemma gemmarum ſcrinia; ſic perfectionis cumulus in illo viſus, omnia factus omnibus:

Hic mare Sapphiri viridans, hic purpura, & ignis,
Sive amethiſte tuus, ſive pyrope tuus.

Quis hic, & laudabimus eum? Celſus, magnus, dilectus, proclamatus à Fama PATER OSMA; magnus in Divi Joſephi Provincia; major in noſtra Pater, & maximus in admiratione omnium. Procerus dum magna in domo regia auctus; ingentior; quia laudis præconio dignus; valde arduuſque, quia columen Fratrum ſtudium præſtat, præſidium ſpectatum tutaminis umbra innumeris anxietatis fluctibus obrutis cunctis communicat, natoſque ut Pater commodis omnibus pietatis officijs colendus proſequitur.

Culmen magnitudinis tantæ continentur dilucidè in ſui cognomenti anagrammate, Hoc OSMA eſt: Igi-

Igitur. *O* admirationis nota, & verbum in dialecto Hiſpano *Mas*, latinè *magis* totum ingens cognomen includit. Unde labia ſilentia ſignent, & vocibus mutis admirationis tanti viri geſta pangantur; ſic cum Aonio famulo omnia complentur.

Et quæ ſparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ diviſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.

O magis excellens! Trepidet ſine lite loquela;
Dum magis alta Patris concino, narro minus.
Eſt minus atque magis, ſubmiſſus honore levatur
Pondere nonque levis deſpicit alta gravis.

Objecit rhetor in verbis minas Cathedræ moderatori. Omnes magni faciunt generis dicendi ſtyllum verbis ſonantem, ſententijs plenum, altiloquum, optima æſtimatione apud omnes habitum. Apagè cum ineptijs, non bonum oſcitantèr rem agere. Tentat gerere litem Marſyas cum Apolline? Minimè. Tibiam afflatam eloquentiæ ſenſit habere ſonum. Et licèt audiens ſapiens ſapientior, hic ſubmiſſionis exiguitate facundia, cunctiſque artibus minor.

Congreſſum ſtolido culpant Diomedea Glauco,
In verbis aliquem non habuiſe modum.

Tanti Pylij ducis eloquia diſerta, admiranda magis, quàm jugulanda putat. Ardore affectus intimi concitus neſcit quó vadat, ut reſpondeat ſuavitate ſocia tali Oratori claro verba dulcia. Cum Grutero in laudem ſolvit labia.

Nec ſecus ac mellis formatrix Dædala, n[illegible]
Chloridos ut varios luſtrat hiantèr op[illegible]
Sic quoque theſauros omnes, monumentaque vatum,
Æternum Genius queis dedit eſſe decus.
Judicij docto ungue legis, ſcitòque ſequeſtras
Ordine, cunctorumque uſibus apta facis.

Quid faciam, intra ſe dicebat, non paria paribus reſpondeo? Sine dubio meos corymbos necto. Deficiunt vires, tamèn eſt laudanda voluntas. Data conſpicua reverentia; honore præſulem digno proſequitur, reſponſumque timidus præbet.

Hoc mare magnum, & ſpacioſum manibus, illic reptilia, quorum non eſt numerus; ſuavitate Neſtoris canebat Jeſſiades. Et certè dulcedine ductus, laqueisque amoris irretitus, Provinciam dicam pelagum mag-

magnum, cujus abyſſus profundus aquarum multarum ſcientiarum non capio, ſolùm parvitatem ingenij modici mei percipio. Continet reptilia nòn numero computata; doctos viros virtute præditos; ingenioſitate eximios, artibus Sophiæ ac Theologiæ ſolertes. Merita non complector, licet nervoſus toto pectore, & animo in hanc rem mihi commiſſam incumbam. Converſus loquor ad te venerande Præſul, qui navem hujus Bœticæ diſcalceatæ Provinciæ ſine periclis ſubmerſionis clavo prudentiæ Palinurus moderaris.

Incumbis pelago, paritèrque ad littora pergis:
Tranquillis primus trepidis te credidis undis.

Strenuus Jaſon aûreum vellus tranquillitatis reportas, tumidaſque Pelaſgus proteris phaſelo ſolertiæ impavidus undas.

Pacis qui fulvo radiantia vellera, villo
Per mare non notum prima petit arte carina,

Non rapuêre tua lumina fulgura nitentis muneris; ſed tua facies modeſta videtur delibuto unguentis odoris virtutis in barbam deſcendentis. Unde laudes tribuit tuus cliens humilis, licèt non narrem ſigillatim. Fide-

lem virum laudibus lætis cumulo; & ut habitator petræ tui aufugij ſine limite præconia dico. In te quieſcit humilitas, ſedet prudentia, regnat charitas, lucet comitas, vigetque paupertas. Miſericors, modeſtus, humilis propitius conficis miſericordias Jeſeus fideles: modeſtia omnibus agnita; humilitas in pace guvernationis Fratribus cognita. Quid ultra? Summa cum laude Provinciæ præeſt, guvernacula ſatis felicitèr tractat. Antheon cum Tyrinthio cernitur; licet inexpugnabili robore exaltatus ut palma in Cades Seraphicæ Religionis, demiſſus magnitudinis præmia metit. A ſcitis inſtitutis ut alter reformator in æthere Seraphico non deficis; à Choro alternis verſibus reſpondens attentè non recedis; levare, ac recreare gravitate morbi ægrotum, uon te piget, ita in ſolida dilectionis baſe fundaris. Licèt in exaltatione præſes in obſequium Subditorum ſervitutem patis. Quod miniſtri ſint ſervi omnium Fratrum in te conſpicitur impletum. Verba do cum Lucano:

Hinc tua me rapit virtus, & miranda per omnes
Vita modos; præſul ſervis, manifeſta miniſtras.

Decoras nostrum Litterale Certamen cum Diffinitoriali Cætu. Ad gustum, & animum hoc mihi satis. Unde tibi venerationem quasi Delio deferunt, veluti radiantia sidera poli. Titan longè, & propè cunctis lumina præbes, residensque medio omnium fructus lucis in compendium redigis. Sed alter Sol propè & longè nobis largitur gaudia lucis Illustrissimus, & valdè charus Pater nostræ Provinciæ præconijs iam dictis exaltatus JOACHIMUS DE OSMA, Theologiæ Sacræ electus Lector, Provinciæ Sancti Joseph Argus Custos, pluries Provinciæ S. Petri de Alcantara, in Regno Partheonopes Generalis Visitator, invicti CAROLI III. Regis nostri, ejusque Regiæ Familiæ Cosultus Confessor, contra Hæreticam pravitatem Supremæ Inquisitionis Hispaniarum Regnis Quæsitor. Quò feror? Dædalijs alta petens pennis quæro ponto naufragij sortem. Phaëton fulgore tuorum meritorum timeo, deviusque ab intinere claræ facundiæ in consultus pereo. Mihi animos non reddit notitia, ideò formidinem non depono.

Devius errantes Phaëton confundit habenas;
Phœbeo Clymenes errat in axe puer.

O quam bonum, quam jucundùm habitare junctim Fratres. Congregati sumus omnes per unum; quia si omnibus unus factus honoris titulis debet gaudere solus: Cedat imbecillitas ignavi acuminis, largiaturque palmam excelso præsidi,

Extremum tamen habuit oratio, velaque turgida collegit responsiò. Omnia persequi longum nimis esset; ideò oneri succumbo, sub tantaque segete encomij premor. Laxas orandi lacinias compendiosa restringo brevitate. Cæterùm antequàm carbasa contraham, remosque inhibeam; in promptu est, vocibus extollere arguta, plaususque linguæ Diffinitorialis Orchestræ. Nodos subtilitatis brevitate linquo, sed primi ingenium non supersedeo. Cognitus in Palladis Aula R. P. Fr. Josephus Arevalo à S. Thadæo, Lector Theologiæ, ex-Diffinitor, atque actualis Custos haud mora merita PATRIS JOACHIMI intonat trita lingua, & veluti auxilijs altis fretus Amramides herös dedit fontes eruditionis claros,

Qui primos ordines duxit in Diffinitoriali actuali honore fuit R. P. Fr. Josephus Uzeda à Conceptione Theo-

Theologiæ Lector, Diffinitorque; hic confert ſua munia gratitudinis in plauſus tanti Parentis, laurumque Phœbi decus, ex corde largitur tali tutori. Sìc ore ciet lætum modum.

Da mihi fræna timor, da mihi calcar amor.

Alter à primo R. P. Fr. Alvarus Soriano à Conceptione Teologiæ Lector, actualiſque Diffinitor propalàm facit lætitiam corde conceptam, legitque flores ex agro fertili geſtûm PATRIS JOACHIMI, ingeminatque liquidas arguto gutture voces:

Bellè inquit ſapiens, ſatis eſt, laudabimus uſquè.

Tertius R. P. Fr. Franciſcus Gallegos à Jeſu Generalis Concionator, unàque actualis Diffinitor ſolertia ſcientiæ ingens, omninòque vir prudens ex imis pectoris venuſtam, valdeque floridam laudationem detegit, editque præconia PATRIS JOACHIMI in lucem. Cum Sedulio ſedulus modulatur:

At rectus palmæ ſimilis florebit amœnæ;
Laus illi debetur, & à me gloria major.

Ultimus R. P. Fr. Franciſcus Vazquez à Conceptione Lector Toheologiæ inſignis, Diffinitorque actualis dat

vela

vela pelago facundiæ; ut Oëdipus solvit ænigmata acuminis notus Provincia procera dexteritate ingenij.

Sed studium dux celsus amas, & Palladis artes;
Hinc te laurigerum plurima turba colit.

Demùm R.P. Fr. Ildephonsus Prò ab Angustijs præclarus ex Conventualis Divini verbi sator, Guardianusque actualis Conventus S. Antonij periocha brevi committit ingenij prælia, præbetque íntimis præcordijs PATRI JOACHIMO vocibus virtutis pellucida encomia.

Proclamat Phœbi Placidi Prò *Pervia Pernix;*
Atque Patris dicti deniquè gesta tonat.

Termino constituto, unàque perducto ad exitum; omnes in tam celebri theatro, nunquám gravitate concurrentium viso, terminum sumens Litterarium certamen, palmas ad sidera tollunt, PATREM JOACHIMUM concentũ vocum plaudunt, notatumque Creta auctoritate approbæ rei struem jubilationum cumulatim congerunt.

Undè sic grates tribuit parenti
Corde Francisci Joachim caterva
Copiam laudum, manibusque palmam
Ordine ponit.

O. S. C. S. R. E.